





18

Or. g. num. 2.

7/

1777 2<sup>e</sup>

ORDINIS IURIDICI

IN

ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T. DECANVS

MARTINVS GOTTLIEB  
PAVLID


DIGEST. VET. P. P. O. CVRIAE PROVINCIALIS  
CONSISTOR. ECCLESIAST. SCABINATVS ATQVE  
FACVLT. IVRID. ASSESSOR

P 435

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*Vtrum maiores nostri rapinam rem honestam  
et extra legum civilium poenas  
positam esse  
existimaverint?*



ORDINIS IURIDICI

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS

M. DE GAUVE

MARTINVS GOTTFRID

PAVLLI D

DIGEST VITAE ET CIVITATIS VITTEBERGENSIS

CONSILII FACULTATIS IURIS VITTEBERGENSIS

PAVLLI DE GAUVE

LECTIO PRIMUM

1771

*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





Q. D. B. V.

VTRVM MAIORES NOSTRI, RAPINAM  
REM HONESTAM ET EXTRA LEGVM  
CIVILIVM POENAS POLITAM ESSE,  
EXISTIMAUERINT?

**C**aius Iulius Caesar, quando in libris, quos de Bello Gallico conscripsit, veterum Germanorum mentionem habet; id quod data quavis occasione factum est, inter alia Libr. VI. cap. 23. haec de iis refert; *Latrocinia nullam apud Germanos habent infamiam, quae extra fines cuiusque ciuitatis sunt, atque ea inuentus exercendae ac desidiae minuendae causa fieri praedicant. Atque, ubi quis ex principibus in consilio se dixit ducem fore, vt, qui sequi velint, profiteantur, consurgunt ii, qui et causam, et hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur; qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis postea fides abrogatur.* Ex his Iulii Caesaris verbis, aliisque nonnullis, historia patria quae suppeditat, argumentis, imprimis autem ex istis diffidationibus, quibus temporibus medii aeui, saltim ab Henrici IV.

a 2  
aeuo



aeuo patria nostra continua paene rabie dilacerata est, colligunt nonnulli, emunctae ceteroquin naris et sagaces viri, rapinam maiores nostri pro re honesta et extra legum ciuiliū poenas posita habuisse. Ita v. g. vir summus, rerumque patriarum, si quis alius, peritus, *Augustinus a Leyser Medit. ad Pandect. Specim. DXXXIX. 1. De delicto agere constitui, inquit, quod, an delictum sit, maiores nostri vehementer ac serio dubitarunt. De rapina loquor, quam Iuris Romani conditores pro furti specie, sed pessima et improbiſſima, reputarunt, atque propterea peculiari nomine a ceteris furtis distinxerunt, contra Germani veteres a furto ita disiunxerunt, ut furtum semper inhonestum et homine ingenuo indignum, rapinam honestissimam ac artem legitimam, et iustum virorum illustrium atque nobilium opifecium crediderint. Atque his beat. Leyseri verbis, quibus alia aliorum testimonia, quoniam vnius Leyseri instar omnium est, superaddere nolo, quendam veri colorem inesse, equidem profus negare nolo. Nihilo tamen fecius temperare mihi non possum, quo minus ingenue profitear, semper mihi stomachum quodammodo mouere istos viros doctos, qui maioribus nostris, apud quos tamen, teste Tacito de Morib. Germ. cap. XIX. plus semper boni mores valuerunt, quam alibi bonae leges, eiusmodi probra inferunt. Haud itaque alienum ab hoc loco, neque indignum persona, quam hodie tueor, esse puto, si in hac scribendi opportunitate, vtrum, qua maiores nostros nonnulli adspargunt, maculam, quantum quidem fieri potest, delere possim, periculum faciam. Et primo quidem C. Iulium Caesarem eiusque testimonium quod attinet, ab quo vno prima istius conuicii origo deriuanda, illius vacillan-*



lantem in rebus historicis fidem hoc loco vrgere nolo, id enim alii et olim et hodie plus simplici vice fecerunt, et exinde leue innocentiae praedidium. Sit itaque, vti dixit Caesar, *latrocinia nullam apud Germanos habent infamiam.* Sed quae tandem et qualia latrocinia: quae extra fines, addit Caesar, cuiusque ciuitatis fiunt. Non itaque de istis rapinis latrociniisque, quae legum ciuilium subiacent poenis, sed de excursionibus et latrociniis, quae in bello fiunt ab hostibus et aduersus hostes loquitur Caesar, et quis quaeso, qui aequus est harum rerum arbiter, has excursions atque rapinas, haec latrocinia, nostris imputabit maioribus, quando, vtrum ii, rapinam honestam rem et extra legum ciuilium poenas positam esse, existimauerint, nec ne? quaestio est. Deinde, si extra fines duntaxat praedas olim in Germania agere licuerit; consequens profecto est, vt id non licuerit promiscue intra ciuitatis fines. Atque hoc est, quod C. Cornelius Tacitus in aureo de Morib. German. libello de Chaucis cap. XXXV. expressis testatur verbis, quando eos *populum inter Germanos nobilissimum* appellat, *quique magnitudinem suam malit iustitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla prouocant bella. Nullis raptibus aut latrociniis populantur. idque praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, vt superiores agant, non per iniurias adsequuntur.* Neque dubitandum est, quin plures quoque alii Germaniae populi hanc Chaucorum virtutem et abstinentiam sint imitati. Certe, quae sensim sensimque in Germania conscriptae sunt et in codices collectae leges, eae tantum non omnes id, quod dixi, affatim testantur, vti videre est ex *Lege Salica* Tit. XV. de eo, qui hominem ingenuum ex-



poliauerit. et Tit. XVI. de eo, qui villam alienam adsalierit. in Frieder. Lindenbrogii Codice L. L. antiquarum pag. 273. ex *Lege Baiuvariorum* Tit. VIII. Cap. XV. de compositione a latrone accepta. Lindenbrog, loc. cit. pag. 419. ex *Lege Alamannorum* Cap. LXVI. de eo, qui alteri viam contradixerit. Cap. LXVII. de eo, qui alterum de caballo furauerit. et Cap. LXXVIII. de libero, qui liberum occiderit. Lindenbrog, loc. cit. pag. 381. ex *Lege Burgundionum* Cap. IX. de inlatis violentiis. Cap. XXIX. de Superuentoribus et effractoribus. et Cap. XLVII. de condemnatione latronum, vxorum quoque suarum et filiorum. Lindenbrog loc. cit. pag. 273. 280. ex 285. et *Lege Anglorum et Werinorum* Tit. X. de Vi §. 7. et 9. Lindenbrog loc. cit. pag. 485. Leges Wisigothorum et Longobardorum, quia iis multa insunt, ex Iure Romano depromta, vt hoc loco taceam. His omnibus, tempora antiquiora quod attinet, addo Capitularia Caroli M. et Ludouici Pii, Imp. Imp. Libr. enim III. horum Capitularium, cap. XXIII. apud Lindenbrogium loc. cit. pag. 877. haec legimus sancita: *De latronibus praecipimus, quicumque post missam S. Ioannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similibus Francis iuret, quod ipse, latronem eum fuisse, non scisset, licet pater eius sit, aut frater, vel propinquus. Si hoc iurare non potuerit, et ab alio conuictus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro et infidelis iudicetur; quia latro infidelis est nostro regno Francorum, et qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audiuit, quod latro fuisset, et tamen non scit pro firmiter, aut iuret solus, quod nunquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium, eum latronem esse; aut sit paratus, si ille de latrocinio postea conuictus fuerit, vt simi-*  
liter



liter damnetur. Cap. porro XLIX. et L. eiusd. Libr. III. loc. cit. pag. 88 r. sancitum est: *Vi Comes, qui latronem in forbannum miserit, vicinis suis et aliis comitibus notum faciat, eundem latronem a se esse forbannitum, ut illi eum non recipiant. Liber homo autem, qui eum suscepit, XV. solidos componat; et servus CXX. percussionibus vapulet.* Ne vero quis existimet, in his duobus capitularibus esse vnicè de latronibus, non autem de rapina et raptoribus sermonem, subiungamus duo alia capitularia, ex quibus, vtrum temporibus Carolingicis rapina extra legum ciuilium poenas fuerit posita? facile potest diiudicari. Primum esto Cap. XCVI. Lib. VI. apud Lindenbrogium loc. cit. pag. 594. *Si quis infra regnum, ait legislator, rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, eique homini aliquid vi abstulerit, in triplo, cui aliquid abstulerit, legibus componat, et insuper bannum nostrum, id est, LX. solidos nobis persoluat; post modum vero ante nos a comite adducatur, ut, in bastonico \*) retrusus, usque dum nobis placuerit, poenas luat.* Nam si publice adum fuerit, publicam inde agat poenitentiam, iuxta sanctorum Canonum sanctionem. Si vero occulte, Sacerdotum consilio, ex hoc agat poenitentiam, quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint poenitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, grauius inde iudicetur, quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, et sacrilegus vocatur, qui ex his aliquid aut abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personae usque ad satisfactionem ecclesiae, quam laeserint, sunt habendae. Alterum exstat in Libr. VII. Cap.

\*) i. e. in arctissimam custodiam. conf. du Fresne et Spelmanni Glossaria ad hanc vocem.



Cap. CXXXII. apud eundem pag. 1069. et huius est tenoris: *Si quis ad faciendam rapinam adgreditur, aut iter agentem in praediis adfuerit, aut domum alterius nocturnus spoliator intraverit, et occisus fuerit, mors latronis ipse a nemine requiratur.* Non suppetit tempus, vt, quae hucusque in compendio tantum exhibui, pluribus edisseram verbis, ceterum tamen ex his ab me allatis argumentis facili, opinor, negotio colligi potest atque diiudicari, quo iure, quaque iniuria de Maioribus nostris ab temporibus saltim Taciti vsque ad interitum stirpis Carolingicae in Germania nostra dici possit, latrocinia apud eos atque rapinas nullam habuisse infamiam?

An vero, saecula recentiora quod attinet, saltim ab temporibus Henrici IV. Imp. vsque ad excessum Maximiliani I. Imp. eosdem semper retinuerint maiores nostri mores, aut annon potius his medii aevi temporibus alios longe eosque tam perditos assumerint, vt latrocinia apud eos atque rapinae nullam amplius habuerint infamiam, hoc, inquam, in ambiguo est. Omnem omnino fidem labefactarem historicam, si, rapinas et latrocinia his medii aevi temporibus multo frequentiora fuisse, quam olim, atque his facinoribus Germaniam nostram misere fuisse laceratam, negare prorsus vellem. Concedo potius hoc quam lubentissime, quin, adhuc amplius concedo, omnia haec facinora non tam ab infima et perditissima populi faece, sed ab ingenuis potius ciuibus et ipsis adeo nobilibus fuisse perpetrata. Hinc Werner. Rolevinckius Libr. III. de antiqua Saxonia cap. 10. apud Leibnitium Scriptor. Rer. Brunsvicens. Tom. III. refert, inualuisse tunc temporis prouerbia:

*Ruten,*



*Ruten, roven, dat en is ghein Schande,  
Dat doynt die Besten von dem Lande.*

Enim vero quae tandem sunt ista tempora et qualia, quibus pessimi isti mores in Germania nostra inualuerunt? Factum hoc est iis temporibus, quibus Germania; aliaque vicina regna plura per infausta inter imperium et sacerdotium bella misere lacerabantur, quibus calliditate et astutia aulae inprimis Romanae iterum iterumque seditiones concitabantur pessimae ducum, principum, comitum aduersus Imperatores et Reges Germaniae, hi autem in suspicionem adducebantur aduersus illos, quibus omnis concordia in Germania penitus sublata erat, discordia vero perpetua ima summis, quadrata miscebat rotundis. Inter haec arma perpetua silebant leges, iustitiumque erat indictum, et, si cui ab altero damnum erat datum, aut iniuria illata, is, qui laesus erat, aut se laesum esse, putabat, ipse sibi ius dicebat. Cumque maiores nostri ab antiquissimis inde temporibus armis potius, quam verbis, inter se experiebantur, atque, teste Tacito de M. G. Cap. XXI. apud eos *suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse erat*: ortae inde sunt famosae istae diffidationes et bella priuata, quae per omnem, quaqua patet, Germaniam tunc temporis gerebantur. Haec autem bella priuata adeo in Germania nostra inueterascebant, ut iis patria nostra per plura saecula inquietaretur, deuastaretur; ita autem iis maiores nostri delectabantur, ut, ea ex vilissimis haud raro causis et paene ridiculis suscipere, non dubitarent. Ita Vir Illustr. Ioannes Daniel von Oleneschlager in der Neuen Erlaeuterung der Guldeneren Bülle Kroyfers



*Carl IV. §. LXXVI. not. I. pag. 296. refert: Von das Jahr 1489. führten die von Franckfurt gegen Heylmann von Praunheim Klage, daß er ihre Stadt darum befehdet, und die getroffene Rachtung umstoßen wolle, weil eine Jungfrau einem seiner Vettern, der sin Helfer gewesen sy, einen Tanz versaget habe. Quae cum ita sint, his turbulentis temporibus latrocinia multa frequentissimasque rapinas, per omnem Germaniam nostram quotannis fuisse perpetratas, quis, quaeso, mirabitur? Quis autem, quem aequus amat, exinde colliget, latrocinia atque rapinas a maioribus nostris pro honesta et extra legum ciuiliū poenas posita esse habitas? Alia omnia nos docent istorum temporum leges earumque collectiones. In Iure nostro Prouinciali Saxonico Libr. II. Art. XIII. hac de re haec exstant verba: *Alle Mörder, und die den Pflug, oder Mühlen, oder Kirchen und Kirchhöfe berauben, und Verräther und Mordbrenner, oder die ihre Bottschaft zu ihren Nutzen werben, die soll man alle radebrechen. Der einen Mann erschlaegt oder faehet, oder raubet, oder brennet ohne Mordbrand, oder der Weiber oder Jungfrauen nothzüchtiget, oder, der Friede bricht, oder, der im Ehebruch begriffen wird, denen soll man das Haupt abschlagen. Wer Diebstahl oder Raub verhöhlet, oder jemanden mit Hülffe darzu beystehet, und des überwunden wird, über den soll man richten, als über jenen.* Haec dispositio Iuris Prouinc. Saxon. iisdem paene verbis, saltem quoad partem priorem repetitur in Iure Prouinciali Alamannico Cap. 114. §. 3. Edit. Meischnerianae, nec minus huc pertinet Cap. 187. et 188. Iur. Prouinc. Alam. quorum illud von der Nothwehr des Straßenraubes, praeter alia multa haec quoque continet verba: *Will mich ein Mann berauben auf der Straßen,*  
*und**



und will ich mich wehren, und schlag ihn zu todt, ich büß seinen Freun-  
den und dem Richter nicht, hoc autem, von den Landräubern: de iis,  
qui raptoribus auxilium praestant, ait: Und ist, daß ein Mann aus-  
fahret und will rauben, und führet Leute mit ihm, die ihm helfen, und  
sie nemmen einen Raub, und führen ihn hinweg. Nun werden die alle  
schuldig an dem Raube oder nicht, oder nur der eine, der sie aus hat  
bracht? Ich sprich, sie sind alle gleich schuldig, dann der einig möcht  
den Raub nicht dannen haben gebracht, dann mit der andern Hüßf.  
Rectius sine omni dubio salutis publicae consulissent maiores  
nostri, si praeterea diffidationibus ipsis bellisque priuatis obi-  
cem posuissent, atque hac ratione fontem ipsum, ex quo vno  
omnia ista mala fluxerunt, penitus obstruxissent. At enim  
vero ea tempora quod attinet, quibus potissimum ista bella  
priuata inualuerunt, tam male tunc temperata erat reipublicae  
patriae forma, vt Imperatores de ea re ne cogitare quidem pos-  
sent. Sensim itaque sensimque tam late serpsit tamque altas  
pessimum hoc malum egit radices, vt progressu temporis, qui  
ad Imperii culmen peruenerunt, vltima audere, atque has dif-  
fidationes funditus exstirpare, haerent, satiusque putarent,  
certis eas legibus adstringere certaeque per leges definitae for-  
mae, in duobus enim malis, cum fugiendum maius fit, eli-  
gendum est minus. Primo itaque per Treugam vel pacem  
Dei, ab Episcopis Aquitaniae praefertim regni que Burgundici  
conditam, induciae diebus certis, Iouis, scilicet, Veneris,  
Saturni atque Solis, cuiuscunque hebdomadis, praeterea die-  
bus omnibus feriatis, cultui diuino sacris, temporique qua-  
dragesimali datae sunt atque permissae. Ioannes Philippus Datt





*de Pace Imperii publica, Libr. I. Cap. II. pag. 10 sqq. Bünau Leben und Thaten Kayfers Friedrich I. pag. 53.* Deinde iisdem Dei Treugis personis certis pax est permiffa perpetua, Clericis nimirum, mercatoribus, agricolis, religionis causa peregrinantibus, sexui fequiori. Praeterea per leges ciuiles fancitum erat, femper vt priuata ifta bella legitime indicerentur, quod fiebat per litteras, quae dicebantur, *die Fehde-Briefe, Abfage-Briefe*, quarum litterarum exempla plura deprehendimus apud *Ioannem Ioachim Müllerum in dem Reichs-Tags-Theatro p. 95 sqq.* neque ftatim, facta rite indictione, vel clarigatione, ad arma ire poterat ille, qui indixerat bellum, immo potius ei, cui erat indictum per tres, quatuorue dies induciae erant permittendae; fecus qui fecerat, ille poenas dabat, legibus praefcriptas, feilicet nobilis canem, ministerialis fellam, ruficus aratri rotam de comitatu in proximum comitatum gectare debebat. *Otto Frifingensis Libr. II. cap. 28. Bünau loc. cit.* Sed omnia haec, aliaque plura, quae hoc loco addere nequeo, effectu tantum non omni defituebantur, atque Maximiliano I. Imp. remanet gloria, quod ille vnus per Pacem publicam anno faeculi XV. nonagefimo quinto Wormatiae conditam, nec non per Iudicium Camerae Imperialis huic inueterato atque grauiffimo malo medicinam parauerit, qua illud fenfim fenfimque non obiter et perfunctorie, fed radicitus eft fublatum.

Sed ad id, quod mei hodie eft officii, vt iam propius accedam, neceffe eft. Scilicet nominandus mihi eft

Vir

Vir Nobilissimus Doctissimusque  
 IOANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS  
 REINHARDVS  
 Vitebergensis

Idem etiam plurima a me prosequendus laude, nisi meum officium occupasset laudatissima vitae in litteris actae ratio ab Ipso in frequentem modum delineata:

*Ego IOANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS REINHARDVS Vitembergae anno MDCCLIII solem aspexi. Pater meus fuit IOANNES FRIDERICVS REINHARDVS, Iuris utriusque Doctor, Cur. prouinc. et Conf. eccl. Aduocatus, qui nimis acerba ac praematura morte in tennerrima aetate mihi ereptus est, matrem vero adhuc in viuis habeo IOANNIS VLISCHII, Rectoris quondam in illustri schola prouinciali, quae Misenaefloret, meritissimi filiam. Haec, mortuo parente meo, redux in patriam urbem Grimmam, ad secunda transit vota, fortunamque diuisit cum GEORGIO PHILIPPO SCHVLZIO, tunc temporis ibi praefecto, iam vero Conf. Comm. Camer. et praefecto Martisburgensi, quem adhuc vitricum veneror optimum, cui equidem ob amorem in me vere paternum et ob indefessum veram felicitatem meam quocumque modo patrum more adiuuandi studium multas debeo gratias. Illi quidem parentes optimi cum ingenium meum animaduertent ad studia elegantiora haud plane ineptum,*



eptum, me, priuata domi paululum imbutum institutione, in  
 scholam prouincialem, quae Grimmae est, recipiendum cura-  
 runt. *V*sus sum ibi praeceptis doctorum longeque meritissi-  
 morum virorum KRÉBSII Rectoris, OPITII, FRIT-  
 SCHII et MÜCKII Conrektorum, GENSELII et HOF-  
 MANNI Tertiorum, SIBOLDI et REICHARDI Can-  
 torum, et RICHTERI Mathematici, praecipuos vero ex  
 priuata institutione Conrektoris MÜCKII percipere fructus  
 mihi contigit, cuius viri memoria et felicitatis meae quacum-  
 que ratione augendae voluntas nunquam, ut ex animo ex-  
 cidat, committam. *A*bsoluto igitur feliciter studio meo scho-  
 lastico, sub Rectore Magnifico D. LANGGUTHIO in nu-  
 merum studiosorum ante iam receptus, sub Rectoratu Magni-  
 fici HILLERI in Academiam Vitebergensem me contuli.  
*P*rimum hic philosophicae studiisque elegantioribus operam  
 dedi et scholas Excellentissimi HILLERI, EBERTI et BO-  
 DENI, nec non Illustris RITTERI, historiam docentis, dili-  
 genter ac sedulo frequentavi. *D*einde vero praecipue prae-  
 lectionibus interfui iuridicis Illustris CHLADENII, KRAV-  
 SII, PAVLI, FISCHERI, WIESANDI, REINHARDI,  
 KLÜGELII, HOMMELII, summorum virorum, famaque  
 amplae doctrinae maxime conspicuorum, ex quorum iucundis  
 doctisque praelectionibus multos eisdemque haud exiguos col-  
 ligere studii fructus. *I*nprimis vero mihi contigit esse tam fe-  
 licis, ut conuictu et priuata institutione optimi patrum mei D.

REIN-



REINHARDI uterer, cui quidem, quicquid fructuum in iurium cognitione cepi, id fere omne debeo, quippe qui maximam adhibuit operam, ut inter priuatos parietes in scientia legali profectus meos auget. Collectis igitur in Academia Vitebergensi per triennium fructibus, editoque specimine pro Candidatura, in Academicam discessi Lipsiensem, ibique a D. FRANKIO in tabulas ciuium academicorum redactus, operam dedi iuridicis et historicis praedlectionibus et publicis et priuatis Illustris HOMMELII et BOEHMII, atque Praecellentissimi WENKII, WOLLII et EINERTI, quos clarissimos praecceptores meos usque ad cineres deuenerabor. Anno quidem in hac academia prospere peractio, Vitebergam redii, praemia publica thesauri defensione examini pro praxi vires meas subiecturus. Quo factio Martisburgum me contuli, ubi per unum annum munere Registratoris in praefectura eius loci functus sum, deinde vero hucusque non sine felici progressu causas in foro peroravi. Tam vero superato ante semestre in consessu Ictorum Vitebergae longe celeberrimorum examine, quod vocatur, rigoroso, denuo accessi, et fortunante Deo factum est, ut veniam ab Ordine Ictorum Spectatissimo impetrarem, summos decenter ambiendi in utroque iure honores.

Tam probe eruditus, non potuit non nobis valde probare suam doctrinam cum textuum ex utroque iure docta interpretatione,



tione, tam ad quaestiones propositas prompta solidaque respon-  
sione. Ut itaque, quos ab Ordine nostro flagitavit, summi in  
Viroque Iure Honores in Eum possint conferri, publicum atque  
solemne doctrinae suae edet specimen. Fiet hoc die XVI.  
Mens. Octobr. quo Dissertationem suam inauguralem, proprio  
Marte conscriptam, me comite ac praefide publice defendet;  
quam Panegyrim ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PA-  
TRES CONSCRIPTI, OMNIUM ORDINUM DOCTORES ET AS-  
SESSORES, NEC NON GENEROSISSIMI ATQUE NOBILISSIMI  
ACADEMIAE CIVES honorifica sua praesentia ornare velint at-  
que augere, perofficiose rogo. Huius quidem benevolentiae  
memoriam nunquam ex animo dimittam.

P. P. Domin. XX. p. F. Trinit. A. R. S. CIOCCCLXXVII.

---

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS

ULB Halle

3

002 265 427



(f) Sb.







18

orig. num. 2.  
7/

1777 2e

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEBERGENSI  
H. T. DECANVS  
MARTINVS GOTTLIEB  
PAVLI D  
DIGEST. VET. P. P. O. CVRIAE PROVINCIALIS  
CONSISTOR. ECCLESIAST. SCABINATVS ATQVE  
FACVLT. IVRID. ASSESSOR  
LECTORI BENEVOLO  
S. P. D

P 435

*Num maiores nostri rapinam rem honestam  
et extra legum civilium poenas  
positam esse  
existimaverint?*

